

est necesse, ut regula quaedam iuris exstet. Lege enim, nisi sit, neminem solvi posse, ratio sua quemque docet. Quis vero est adeo hospes in iuris nostri historia, quin sciat, de mortis praesumtae argumentis recte ducendis, si ius commune spectes, nihil certi posse definiri, ut nos non male doceat, qui iure defici dixerit. 7) Neque magis rem, iuris scripti regulis non definitam, iudiciorum usu, eoque certo, veluti iuris non scripti, si Diis placet, particula et fonte, definiri dixeris. Nam, in tanta opinionum varietate, tantaque iudiciorum pugna, magis est, ut negetur, esse in hoc capite ius, quod recte commune vocari possit. Accedit, quod non exemplis, sed legibus est iudicandum. Atque exemplorum, rerumque ante iudicatarum, etsi non vilis est auctoritas, nulla tamen esse potest, nisi amice conspirent. Quid igitur dicendum de genere, ex quo sit Imp. MATTHIAE constitutio? Dicam, quod sentio. Si formam spectes, est ex rescriptorum genere, atque spe-

---

7) Conf. SCHOTT. et KIND. locis ind. c. c. HOFACKER in *princip. iur. civ.* Tom. II. §. 1682. ANT. F. I. THIBAUT *System des Pandecten Rechts.* Ien. 1803. §. 500. MÜLLER *Obs.* 141. ad LEYSER. EMMINGHAUS ad COCCEII *Ius Cont.* lib. 5. tit. 3. qu. 21.